

762.

1283 d. 11 Jun.

SIGGE GUTTORSSONS till Ljunom Testamente af gårdar och penningar till kyrkor, kloster, m. m.  
A. 4. a. 2: 5.

In nomine patris & filii & spiritus sancti amen. Ego *Siggo Guthormson* in liuom mundi labentis aduertens perniciem, Cuius quis blandiciis acriter leditur dum lenitur sciens quod morte nichil cercius hora mortis nil incercius. saluti anime mee intendens preuidere. testamentum meum condo per hunc modum. Monachis in aluastrum Curiam meam in Occidentali liuom. cum omnibus suis attinenciis mobilibus et immobilibus confero aput quos eligi sepulturam. Taliter eam ipsis iam assignans, sicut in litteris meis diu ipsis traditis plenius patet & probetur. Item ecclesie in næsbÿ predium vnus thynionis quolibet in nouali. Domino Salmundo plebano eiusdem ecclesie. marcham denariorum. Ecclesie in hocstad quartam partem vnus octonarii in Colsthorp ad expensas plebani cuiuslibet ibidem existentis. Domino runstano plebano ibidem duas marchas denariorum. Fratribus minoribus in suthurcopia. marcham argenti. Predicatoribus in Skæningia. marcham argenti. Predicatoribus scaris marcham argenti. Fratribus minoribus ibi. marcham argenti. Ospitali ibi. dimidiam marcham argenti. Fratribus in lødosa marcham argenti. Duobus ospitalibus in osgosia. Marcham argenti. Claustro in askaby Marcham argenti. Claustro vretys Marcham argenti. Fratribus in nÿcopia. Marcham argenti. pro quadam restitutione quam dixi fratri kanuto dilecto confessori meo. Marcham argenti. Ospitali in ølandia dimidiam Marcham argenti. Ad soluendum hiis enumeratis claustris & Ospitalibus vestes meas ruffas & vnum octonarium in Occidentali liuom inter ambas curias situm & titulo empcionis acquisitum obligo. quem a nullo heredum meorum redemi uolo penitus & refuto nisi uel a monachis in aluastrum vel ab vxore mea Cui tercia pars supradicti octonarij ueraciter & iure debet attinere. Curiam quoque meam in hocstadhum cum omnibus sibi attinentibus do ecclesie lincopensi eciam cum domibus emptis necdum allatis ad eandem - Mancipiis meis omnibus securam & propriam confero libertatem. Domino nicholao preposito in høgby tunicam meam nigram cum sorcocio & capucio. Domino. N. sacerdoti meo cappam meam foratam cum capusio Birghero filio meo armaturam quam personaliter habui integraliter confero per hunc modum, quod per Jng. decanum quem executorem tocius testamenti mei firmiter adnecto vendatur & in scolesticum subsidium sibi tribuatur prout idem dominus. J. uiderit expedire. Ceterum omnia alia arma mea ad hoc assigno quod inter folquidum Benonem bylla son. haquinum ruffum nicholaum Crok yandum Thorchillum petrum longum & toconem sicut uisum fuerit uxori mee, equaliter diuidantur. vnum uero ecum & gladium meum cum galea do yan-

do. ad redempcionem crucis mee duo baltea mea argentea & vnum vas argenteum quod habet tydamannus aurifaber in suthurcopia firmiter deputauj. Ego enim tempore resolucionis mee omnino carens denariis jta quod duas marcas denariorum vix haberem racione exequiarum mearum mutuo recepi quatraginta marcas denariorum de ecclesia lincopensi pro quibus eidem ecclesie curiam meam thorp cum omnibus suis attinenciis inpignerauj donec dicta pecunia sibi solueretur. Item ad soluenda alia debita mea silicet domino nicholao cui suthurcopensi. XIX marchas denariorum. brauido ruffo in skæningia. XX duas marcas denariorum hænikino væscellini VII. marchas. Ecclesie lincopensi. viginti duas marcas denariorum diu receptas. Ecclesie in fornusom tres marchas ospitali skæningie tres marchas Jnguario lobo XVI solidos denariorum. dextrarium meum & palifridum meum vna cum zomario meo deputauj. Quibus enim de iam scriptis in soluendo, precium predictorum eorum se non extenderit & si aliqui inueniuntur quibus in debitis obligatus eram nec ad memoriam duxi uolo quod heredes mei hiis persoluant. & si ipsi non persoluerint eos obligo coram deo omnipotenti in die iudicii responsuros. Ceterum pro panno quo uestiui quosdam pueros meos solui vnum ecum domino nicholao cui suthurcopensi. Huic vero donacioni & Ordinacioni testamenti mei presentes fuerunt. Cristina dilecta vxor mea. Dominus sweningus & dominus býrgerus canonici lincopenses. Magister oddo frater kanutus suthurcopensis nec non & dominus nicholauus sacerdos meus. quorum sigillis & sigillo meo proprio nec non & sigillo capituli lincopensis presentes duxi confirmandas. Siquis autem hanc donacionem meam cassare uel refringere attemptauerit. anathematis ulcione feriat & cum iniquis in die iudicii percipiat porcionem. Datum anno domini. M<sup>o</sup>.CC.LXXX tercio feria sexta pentecostes.

På frånsidan med annan, men nära samtida hand: Testamentum siggonis guthormsson jn liuonm sepulti jn monasterio aluastri & iste siggo fuit gener bygeri ducis.

Sigillen: N:o 1 SIGGES; 2 adel., skadadt, 3—5 andeliga, blott stycken qvar.

763.

1283 d. 13 Jun.

Kalmar.

MAGNUS JOHANSSON ENGELS Bref rörande försäljningen af Högnatorp till Bisk. BRYNOLF i Skara, och derföre belöpande köpesumma.

A. 3. z. 1: 6.

Omnibus presentes litteras jnspecturis, Magnus johans sun salutem jn domino sempiternam, Nouerint vniuersi me domino Bryniulpho skarensi episcopo curiam meam jn hognathorp cum agris pratis siluis piscariis & omnibus